


1978
L
1741

D. f. 8

M 447 27.


XXXVII
d Z 3

Jo. Andr. Schmid I D. PP.
ABBATIS MARIÆVALLENSIS
Programma
DE
HISTORICIS
RERVM SACRARVM
DEPERDITIS
disputationibus XV. publicis
IN
COMPENDIVM HISTORIAE
ECCLESIASTICÆ
à viro juvene habendis
præmissum.



HELMSTADII
Literis HENRICI HESSII.

99.5.1.5
BIBLIOTHEK
BIBLIOTHEK
MUSEUMS
BIBLIOTHEK
AK
C



Jova Juva!



Vemadmodum gratiæ divinæ tribuimus , qvod evangelistæ & apostoli, spiritus sancti amanuenses, res sub exordium ecclesiæ christianaæ gestas literarum monumentis consignaverint: sic opus providentia summi numinis agnoscimus , eadem neqve hominum interitu fuisse oblitterata , neqve posterorum incuria vel oblivione extincta , aliorum vero scripturas, primorum seculorum fata exhibentes, maximam partem periisse. Illa qvippe eum in finem scripta novimus, ut credamus in Jesum Christum & vitam habeamus æternam, qvibus obtentis absqve ulla salutis nostræ jatura reliquis , qvæcunqve tandem illa fuerint, carere possumus. Respexit eo jam olim immortale Juliæ nostræ decus B. Georgius Calixtus, qvando progressum studiorum in eccllesia à prima ætate deducere voluit, seqventem in modum scribens : (a) *Nihil quidem scriptorum præter apostolica & canonica ex primo seculo integrè & sine suspicione falsi vel certè interpolationis argumentis ad nos pervenit, non qvod nihil omnino scripserint,*

A 2

qui

(a) Apparatus. Theolog. p. 113.

qui id etatis ecclesis praeerant, quum de Ignatii nonnullis epistolis res sit extra controversiam, sed potius, qvòd divina providentia primum seculum non nisi apostolicis scriptis apud nos voluit nobilitatum, & hoc ipso providere, ne ob vicinitatem temporum, alia, si exstarent, cum apostolicis confunderentur. Sicut etiam qvum subsequtis seculis benè multa ab industriis & sedulis doctoribus literis fuerint consignata, eorumqve alia perierint, alia hodie supersint, divine providentiae acceptum ferimus, qvod qvæ optima sunt & ad institutionem nostri & ecclesiæ edificationem faciunt, injurias ævi superarint, & alia, qvibus sine damno & incommodo carere possumus, interciderint. Neque vero de providentia divina aliter sentire par est, quam qvod optima qvæque & qvæ ex usu nostro futura essent, conservatum iverit. Neque ab eodem recedit B. Sagittarius, (b) qui in fatis scriptorum ecclesiasticorum eam sanctissimæ providentia notam observavit, ne (qvod nimur contigit posterioribus seculis) magis aestimarentur humanitatis quam divinitus scripta.

Pauci qvidem ex eo tempore, qvo apostoli sacra reliquaverunt volumina, libris conscribendis operam dederunt, satis habentes ea evoluisse, ea qvoque commendasse, qvæ ecclesiæ divinitus suisse concredita sciverant. Doctoribus ab initio tantum otii non concedebatur, ut vel acta ecclesiæ notarent, vel homilia in chartam conjicerent, vel libros de fide scriberent. Toti illi tunc erant occupati in populo ad scripture ductum studiendo, in formandis ecclesiis, & disciplina observanda, nisi qvod interdum unam alteramve epistolam ad alias ecclesiæ, doctores, atque privatos eadem continentem vel necessitate vel alia occasione compulsi exaraverint. Reliqui fideles dies noctesqve sacris districti negotiis

(b) *Introductio in H. E.*, c. 2. §. 2. p. 4.

tiis id unum judicabant necessarium , fidem suam non atra-
mento illinire foliis caducis , sed fulgore vitæ inculpatæ &
sangvine , qvem pro Christo constantissime effundebant , ho-
minum inscribere cordibus . Et qvis præterea nescit , qvantis
semper tempestatibus , qvantis calamitatibus ecclesia fuerit in
primordiis statim agitata , ut sæpe nec locum nec tempus ha-
buerint , ubi qvædam , si vel maxime vellent , literis trade-
rent . Frustra igitur christiani à gentilibus habiti fuerunt
(a) studiorum rudes , literarum profani , indocti , impo-
liti , agrestes ; qvibus non datum intelligere civilia ,
multo magis denegatum , differere divina ; cum nec
voluerint scribere , nec ob urgentes necessitates potuerint .
Verior fuit Eusebii (b) sollicitudo , qvam initio historiæ ,
cum se ab omnibus fere subsidiis desertum vidisset , profitetur :
Primi , inquit , *hoc argumentum aggressi , novam qvan-*
dam nullisqve adbuc vestigiis tritam viam incedere nunc
tentamus : Deum quidem itineris ducem , Christiqve po-
tentiam adjumento nobis fore sperantes optantesqve :
ceterum ne nuda quidem reperientes hominum vestigia
qui ante nos viam illam calcaverint . Et post pauca :
necessitate quadam impulsus hunc laborem suscepisse mi-
hi videor , propterea qvod ex ecclesiasticis scriptoribus
neminem , qui in hoc scriptionis genere elaborasset , ha-
ctenus deprehendi . Post Eusebium Hieronymus eadem
queritur in epistola ad Dextrum catalogo scriptorum ecclesi-
asticorum premissa : Ego quid acturus , qui nullum pra-
vium seqvens , pessimum , ut dicitur , magistrum me-
met ipsum habeo ?

Fuerunt nihilominus aliqui , qvibus pro temporum illorum
conditione placuit consignare nonnulla , jam dudum vel tempo-

A. 3

rum

(a) Cecilio Natali apud Minucium.

(b) H. E. 1, I. p. 4.

rum injuria, vel hominum negligentia, vel dolo etiam & fraude
nobis iterum erupta. Ad illos enim provocat Eusebius loco ci-
tato: nonnulli vero, que sua etate contigerant, exiguae quasdam &
particulares narrationes sparsim nobis reliquerunt: tanquam faces quas-
dam nobis eminus attollentes, & quasi e specula inclamantes, qua via
incedere & quomodo sermonis nostri cursum ita dirigere debeamus.
Fuerunt & praeter istos certae traditiones, quarum ut sunt plura
genera, sic aliquas ceteris rejectis omnino admittere debemus.
Fuerunt & archiva publica, de multis christianorum secundis,
maxime autem adversis aliisque testantia. Imp. rescripta inde
produxit Justinus M. sub finem apologiae secundae. Eadem excu-
tere jussit, quae videt Tertullianus, (a) apud populos, praesides
consules, aliosque magistratus. Haec sola Eusebius, negletis a
Constantino oblatis beneficiis, perlungstrand exoravit. (b) Fuer-
unt & in his martyrum acta ab amanuensibus & actuariis con-
sularibus sedulo notata, quae christiani pecunia redemerunt iis-
que aliunde cognita adjecerunt. Hinc forte fasti ecclesiarum
a Tertulliano (c) municipalibus gentium solennitatibus oppo-
nendi, hinc Diptycha, hinc martyrologia. Fuerunt ecclesia-
rum epistolae, fata sua martyrumque concertationes aliis com-
municantes. De singulis quaedam commentari & temporis, quo
includor, angustia & alia prohibent. Liceat mihi aliquos dun-
tata in medium producere, rerum gestarum narrationes ex insti-
tuto ante Eusebium suscepientes, ut de reliquis alio adhuc loco
distinctius agere concedatur.

Primo igitur loco nominandus venit *Papias*, quem Irenaeus (d) Joannis auditorem, Polycarpi autem contubernalem, Hieronymus v. in scriptorum ecclesiasticorum catalogo absolute, Joannis auditorem fuisse scribit & dum eundem Polycarpum inter & Quadratum, apostolorum discipulos, medio loco ponit, non alium quam Joannem apostolum intelligere videtur. Eusebius (e)
contra asserit, quod ipse Papias Aristionis & Joannis presbyteri
audi-

[a] *apolog* c.19. p. m. 35. c. 2r. p. 37. *adv. Marcion*. lib. 4. c. 7. p. 503. e.
19. p. 513. [b] *Hieron. epist. ad Chromatium & Heliodorum*. [c]
de coron. mil. 6. 13. p. 209. [d] *adv. har. lib. 5. c. 33. p. m. 498.* (e) *H. E. 3.*
39. p. III. D.

auditorem se dicat suisse, & multa, quæ ab iis tradita acceperat,
ipsorum nominatum mentione facta, in commentariis suis retin-
lerit, nisi forte in utriusque schola illum haesisse quis dicere velit
Post illa tempora ecclesiæ Hieropolitanæ episcopus præsedidit (f)
& tandem martyr fuit ut vult Stephanus Tritheita, cognomine Go-
barus. (g) Scripsit autem libros quinque λογίαν κυπιακῶν ἐξηγή-
σεως de interpretatione oraculorum dominicorum, hodie non amplius
extantes. Eusebio nihilominus & Hieronymo debemus hujus
autoris scopum, & quædam hinc inde excerpta, licet illi quodammodo
dissidere videantur. Iste enim asserit Papiam ipsum in procœmio
librorum suorum se qvidem sanctorum apostolorum spectatorem
atque auditorem suisse non dicere: sed ab eorum familiaribus nor-
mam fidei se accepisse testari his verbis: *Nec pigebit, inquit, ea*
qua quondam à senioribus dидici ac memoria mandavi, cum interpre-
tationibus nostris adscribere, ut veritas eorum nostra quoque assertione fir-
metur. Non enim ut plerique solent, eos unquam sectatus sum qui ver-
bis affluenter, sed eos potius, qui verum docerent: Neceos qui nova que-
dam & inusitata præcepta, sed illos qui Domini mandata in figuris tra-
dita & ab ipsa veritate profecta memorabant. Qvod si quis interdum
michi occurrebat, qui cum senioribus versatus fuisset, ex eo curiosè sci-
scitabar quanam essent seniorum dicta: Quid Andreas, quid Petrus, quid
Philippus, quid Thomas, quid Jacobus, quid Joannes, quid Matthæus,
quid cæteri Domini discipuli dicere soliti essent: Quidnam Ariſtōn, &
Joannes presbyter, discipuli Domini prædicarent. Neque enim ex libro-
rum lectione tantam me utilitatem capere posse existimabam, quantum ex
hominum adhuc superstitionem viva voce. Hic vero ad eandem provo-
cans præfationem, eum asserere scribit se non varias opiniones sed a.
postolos autores habere. Ex his quæ nobis excerpta dedit Eusebius,
referri possunt ad quædam miracula, sententiam de regno mille
annorum, opinionem de Matthæi & Marci evangelio, & alia.
Miracula, sed judice Eusebii ex aliorum fide ac traditione, recent-
set duo, quorum alterum à Philippi apostoli filiabus se accepisse
scribit, mortuum scilicet sua ætate ad vitam esse revocatum; al-
terum est de Justo, cognomento Barsaba, quem cum lethale po-
culum ebibisset, tamen Dei adjutum gratia, nullum inde accepit.

se

(f) Id. ib. 3, 6, p. 106, c. (g) ap. Phot. cod. 232, p. m, 992.

se incommodum. Antiqua porro Papiae de regno mille annorum idem laudatus historicus propositurus, sequentia notavit. Idem, inquit, scriptor alia nonnulla nuda vocis traditione ad se pervenisse testatur, novas quasdam scilicet servatoris parabolæ ac prædications, aliaque fabulis propriora. Inter qua & mille annorum spatiū post corporum resurrectionem fore dicit, quo regnum Christi corporaliter sit in orbe terrarum. Qvod quidem ira opinatus esse videtur Papias ex male intellectis apostolorum narrationibus, cum ea qua arcane quodam sensu & exempli causa ab ilis dicebantur, non satis pervidisset. Fuit enim mediocri admodum ingenio præditus, ut ex scriptis illius conjicere licet: Plerisque tamen post ipsum ecclesiasticis scriptoribus ejusdem erroris occasionem præbuit, hominis vetustate sententiam suam tuentibus: puta Irenæo & si quis alius ejusdem opinionis fautor extitit. Qvod ejus opinionem de evangeliis concernit scripsit illi divina oracula Matthæus hebreico sermone: (a) interpretatus est autem unusquisque illa prout potuit. Ex eo quoque proponit historiam de muliere, quæ multorum criminum coram Domino accusata est. Ex eodem forte habuit illa de Juda proditore ex arbore infelice dejecto, priusquam animam efflaret, postea a plaustro in via compresso, ut ejus intestina effunderentur. (b) Sic enim e Papia Oecumenius scribit: *Judas suspendio e vita non discessit, sed supervixit, suspensus enim dejectus & priusquam suffocaretur, tantum postea corpore inflatus est, ut progressi non posset, cum currus levi cursu pertransiret, curru compressus est, ita ut effunderentur ejus intestina.* De Marcò ex Joannis presbyteritraditione refert, eum Petri interpretem, quæcumque memoria mandaverat, diligenter prescripsisse: non tamen ordine pertexuisse, quæ a Domino aut dicta aut gesta fuerant. Neque enim ipse Dominum audiverat aut sectatus fuerat unquam. Sed cum Petro postea versatus est, qui pro audientium utilitate, non vero ut sermonum Domini historiam contexeret, evangelium prædicabat. Qvocirca nihil peccavit Marcus, qui nonnulla ita scripsit, prout ipse memoria reputabat. Id quippe unum studebat, ut ne quid

(a) *Id. ib. p. 83. seq.* (b) *Vid. Oecumen in cap. 27. Matth. & Act. i. add. Casub Exerc. 16. 69. p. 527. seq. Dannh. Christeid. p. 119. seq.*
(c) *Spanh. lc. p. 85. seq.*

quid eorum, quæ audierat, prætermitteret, aut ne quid falsi eis affingeret. Ita de his Papias, qui etiam testimonii ex priore Joannis epistola & ex priore itidem Petri dessumtis usus fuit. Singula hæc si cum Eusebii judicio perpendimus, nondum videre possumus, quomodo Papias ab eodem *[a]* salutetur vir in primis disertus & eruditus ac scripturarum peritus, nisi, quod recte monuit Valesius, hæc verba ab imperito quodam scholiaste velimus adjecta esse, præter Eusebii mentem & sententiam, cum in præstantissimis codicibus illa non legantur.

Papiæ jungimus *Hegeſippum*, qui à pseudo Hegeſippo longo temporis intervallo distat. Videtur is ex hebræis ad Christi fidem transiſſe, quia autem ætate vixerit inter autores disqviritur. Eusebio *(b)* & qui eum seqvitur Hieronymo, apostolorum temporibus proximus est, sive in primam apostolorum successionem incidit, *(c)* & iisdem *(d)* judicatur, tempus ipsum quo floruit, aperte designasse, cum de iis qui simulacra primum erigere cooperant, in hunc modum scripsisset: *Qvibus cenotaphia templaq; extinxerant, sicut nunc etiam fieri videmus.* Ex quibus fuit *Antinous* servus *Cesaris Hadriani*, in cuius honorem certamen sacrum, quod *Antinoum* vocant, nostra etiam etate celebratur. Ex hoc igitur loco quidam Hegeſippum ad tempora imperatoris Hadriani referunt, cum tamen iste id non evincat, utpote in quo scribitur, quidjam actum fuerit & etiamnum ad illorum imitationem fieri soleat. Accedit & illud, quod ipse etiam fateatur *(e)* se Romam venisse, & mansisse apud Anicetum atq; viduisse successores ejus Soterem & Eleutherum, ut adeo potius in tempora Marci Antonini sit conferendus; *[f]* nisi quis sub hoc demum inclaruiffe eundem velit, sub illo autem jam vixisse. Sed his omissis, id monemus, cuius gratia iste in hanc scenam fuit productus, nimis in *qving; libris*, simplici sermone conscriptis, verissimam apostolicæ prædicacionis historiam eum fuisse complexum. *[g]* Distinctius rem omnem expressit Hieronymus, de eo scribens, quod *omnes à passione Domini*,

B

usque

[a] l.c.3,36,p.106.c. *(b)* l.c.2,23,p.63.c. *(c)* Id.4,8,p.121. *(d)* primam in hanc successionem usque ad tempora Marci Antonini produci vult Vales. ad Euf. loc. p.39. *(e)* ap. eundem 4,22. p.142.b. & Hieron. in catal. *[f]* Vales. ad Euf. 4,8.p.6. *(g)* Euf. 4,8.p.121.d.

usq; ad suam etatem ecclesiasticorum actuum texens historias, multaq; ad utilitatem legentium pertinentia, hinc inde congregans, quinq; libros compo- posuerit; simul rationem adjiciens, cur sermone simplici istos conscriplerit, ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoq; exprimeret characterem. Brevius alias citari solent *παροιμίαι των εκκλησιαστικῶν περιγραφῶν* commentarii ecclesiasticorum actuum, [a] qvi tamen dudum orbi literato fuerunt surrepti, ut adeo de ordine, qvem in recensendis actis servavit, nihil hodie possimus dicere. Interea primus iste hunc laborem aggressus, titulum parentis historiæ ecclasiasticæ meruisset, nisi postea Eusebius eidem hanc palmam fecisset dubiam. Hic ipse quoq; ex quinque illis commentariorum libris, quinq; fragmenta ad nostram ætatem transmisit. Primum (b) est de Jacobi justi vita genere, ecclesiæ Hierosolymitanæ administratione, ardore precandi, astimio apud omnes, iniquo scribarum & pharisæorum postulato, ejusdemq; ut populum à Jesu dederet, cultu, & tandem illius martyrio. Alterum (c) eorū est de persecutio- ne propinquorum Christi a Domitiano suscepta, qvam tamen ipse compescuisse dicitur, postquam possessiones eorum exiguae, unde viictum sibi comparabant, duritiem cutis, impressumq; alte ma- nibus callum ex laboris assiduitate cognovisset, nec non dere- gno Christi, qvale illud sit, qvædam audivisset. Tertium [d] est de Simeonis Cleopæ filii martyrio, cum annos centum & viginti natus esset, & de statu Hierosolimitanæ ecclesiæ, qvæ ad hæc usq; tempora instar ejusdam virginis, integra atq; incorrupta per- mansisset, extincto autem sacro apostolorum cœtu vidisset impli erroris conspirationem, fraudem & malitiam falsorum doctorum. Quartum [e] est de ætate Hegesippi, qvod scripserit post tempora Hadriani, qvi Antinoo divinos decrevit honores. Quintum [f] est de profectione sua per Corinthum ad urbem Romanam, cui Eu- sebius alia adhuc per saturam subjicit; nim. ex septem sectis in Ju- daico populo proseninatis, primum Thebutim ecclesiam occulte vitiasse & dein ex illis reliquos hæresiarchas prodiisse: nonnulla item

[a] Enf. 2, 23. p. 63. c. 4, 22. p. 142. a. Gobar. ap. Phot. cod. 232. p. 894.
(b) Enf. l. c. 2, 23. p. 63. seq. (c) Id. l. c. 3. c. 19. et cop. 89. seq. (d)
Id. l. c. 3, 32. p. 103. seq. (e) Id. 4, 8. p. 121. seq. (f) Jo. l. c. 4, 22. p. 142. seq.

item ex hebræorum evangelio & syriaco protulisse in medium, & alia ex Judaicis traditionibus scripto minime comprehensis petita commemorasse: cum antiquis proverbia Salomonis vocasse sapientiam omnium virtutum præcepta continentem; egisse etiam de libris, qui apocryphi dicuntur, & quosdam sua ætate à non nullis hæreticis esse compositos monuisse. Taceo nunc particulam, quam Photius ex Gobaro adducit loco citato. Verum hæc ipsa Hegesippifragmenta non omnia videntur viris criticis sapere veritatem historicam. Narrationem enim, in primo illorum exhibitam Scaliger (a) monstravit esse fabulosam pluribus rationibus, quæ et si non omnes satis firmas deprehenderit Du Pin (b) aliquas tamen tanti æstumavit, ut nec P. Halloix (c) nec Petavius (d) iis fecerit satis. Has inter est & illa, quod non appareat, cur unus Jacobus ex omnibus in intimum templi sanctuarium ingrediendius facultatemque haberit, quia non lanicio sed linea tantum veste fuerit usus? neque qua ratione locum habere possit Jacobi sepultura juxta templum & cippus post urbem a Romanis excisam adhuc residuus? (e) & denique qua via conciliari possit recensio martyrii Jacobei ab Hegesippo facta cum damnatione & lapidatione extra portas, quam habet Josephus in his minime fallax. Alterum fragmentum a severioribus Scaligeri animadversionibus liberarunt quidem Halloix & Valesius, (f) sed Du Pin historiam illam difficulter sibi persuadere potest. (g)

Duo hi scriptores, eorumque fragmenta, cum de pluribus nunc agere mihi non licet, satis indicare videntur, tantam forte jacturam in illis non esse factam, quantam alias æstumare solemus; præcipue cum Eusebius, quæcunque ad historicam narrationem visa fuerunt necessaria, ex illis in unum collegerit corpus, & istorum temporum defectum suppleverit. Quæcunque, inquit, proposito operi profutura esse credidimus, ex his quæ ab illis sparsim commemorata sunt studiose colligentes, aptosque instituto nostro veterum scriptorum locos, velut florulos ex sapientia pratis decerpentes, historicæ narratione in

[a] in animadv. ad Euf. loc. p. 173. (b) Novell. bibl. T. I. p. 56. (c) in notat. advit. Heges. c. 3. (d) in not ad her. 78.

in unum corpus campingere conabimur : satis habentes si non omnium , illustrisimorum certe Servatoris nostri Apostolorum successiones in iis Ecclesiis qua etiamnum celeberrime habentur , posteritatis memoria commendare . (a) Mittimus itaque Papiam & Hesippum , conversi ad praeclarum institutum , de quo nunc est dicendi locus .

Scilicet praesenti scriptio nans dare voluit vir juvenis

JO. HENR. WEDDERKAMP ,
VLZENSIS ,

de cuius probitate , morum elegantia & egregio variae eruditio-
nis apparatu eo certius testari possum , quo diutius in hac
JULIA lateri meo adhæsit indivulsus . Ex Pythagoræ præcep-
tis , quæ sequor , primo statim vitæ academicæ anno judicavi ,
quid sequentes de eo mihi promittere possint . Neque me fe-
sellit spes mea , cum illum ad studia primum , ad monita facilem ,
ad labores indefessum semper habuerim . Diu in umbra mu-
seii latere noluit , qui in publica luce vel respondentem vel op-
ponentem saepissime egit magna cum sollicitudine . Recens ad-
huc est nupera pugna , ex qua omnium applausu abiit , &
nunc majora molitur . Antiquitatum sacrarum amator compen-
dium nostrum historia ecclesiastica disputationibus XV . eruditio-
rum examinibus subjicit , probe gnarus , hac demum via me-
moriae altius imprimi tum ea , quæ in lectionibus docentis fü-
re proposita , tum illa , quæ privata industria adjecit . Bonum er-
go factum ! Largiatur modo summum numen utriusque nostrum
animi corporisque vires , ut & hunc laborem ad ultimum actio-
num nostrarum scopum , divini nominis gloriam , perducere
valeamus . Vos autem antiquitatum sacrarum cultores stre-
nui , quorum corona nos nunquam deseruit , præbete commi-
litoni vestro aures vacivas , ut iste præsentia vestra magis ma-
gisque excitetur , & in vestros usus aliquando cedere possit
tam proficia antiquitatis ecclesiasticae notitia . Valete

& his studiis , quod facitis , porro favete . P. P.

XXIX. MAJI. MDCC.

6) 6

(a) l. c. L. l. t. I.

78 L 1741

TA-OL



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Centimetres



8

7

6

5

4

3

2

1

0

1

2

3

4

5

6

7

8

Farbkarte #13

DR. SCHMIDI D. PP.
TIS MARIÆVALLENSIS

ogramma
DE
TORICIS
M SACRARVM
DEPERDITIS
ationibus XV. publicis
IN
NDIVM HISTORIAE
CCLESIASTICÆ
iro juvene habendis
præmissum.

HELMSTADII
HENRICI HESSII.

XXXVII

Z 3